

ponere, quam occultare; tum quia, licet textus ibidem videatur indistincte loqui, tamen conformitatem in habitu solummodo permittit religiosis diversorum ordinum ratione scandali evitandi: atqui hæc ratio urget duntaxat in exteriori gestatione proprii habitus diversi, non autem, si iste aliis vestibus superindutis occultetur; ergo.

§ V.

QUALITER PROHIBITUM SIT CLERICIS GESTARE ARMA ET EXERCERE NEGOTIATIONES, LUDOSQUE THEATRALES?

118. *Clericis sub pœna excommunicationis prohibitum est arma portare. Nulla pœna major est in Ecclesia quam excommunicatio.* — Quæritur I. An, et qua ratione clericis sit prohibitum, arma gestare? Resp. I. Clericis sub pœna excommunicationis prohibitum est, arma gestare. Textus est in cap. II. h. t. ibi: «Clerici arma portantes, et usurarii, excommunicantur.» Adeoque, ut infert Abbas ibid. n. 4. peccant mortaliter arma prohibita deferendo: quia excommunicatio non fertur, nisi pro gravi crimine, can. *Nemo Episcoporum.* et can. *Nullus sacerdotum.* 11. q. 3. Si quidem nulla pœna major est in Ecclesia, quam excommunicatio, can. *Corripiantur.* 24. q. 3.

119. *Clericatus officium clericos reddit inhabiles ad pugnandum. Clericorum arma, sunt orationes. Magis religione, seu orationibus, quam labore corporis, respública continetur.* — Accedit ratio. Quia «Clericatus officium clericos reddit inhabiles ad pugnandum,» ut dicitur c. *Ex multa.* 9. § fin. de *Voto.* Non enim possunt simul Deo, et sæculo servire, can. *Quicumque ex clero.* 23. q. 8. Unde clericorum arma, et munimenta, debent esse orationes, can. *Convenior.* § *Quid ergo.* 23. q. 8. Exemplo Moysis, qui orando vicit Amalecitas, *Exod.* XVII. 42. ac refertur can. *Si quis vult.* dist. 36. Nam magis religione, seu orationibus, quam labore corporis, vel sudore rempublicam contineri, ultro confessi sunt Constantius, et Constans imperatores refertur can. *In qualibet.* 23. q. 8. Quinimo clericis, si in quacunque seditione arma volentes sumpserint, tanquam sacerorum canonum contemptores, et ecclesiasticæ sanctitatis profanatores, amisso sui ordinis gradu, in monasterium pœnitentiæ tradi jubentur, can. *Clerici qui.* et can. *Quicumque ex clero.* 23. q. 8.

120. *Pœna excommunicationis in clericos arma gerentes non est late sententiæ.* — Resp. II. Pœna excommunicationis in clericos, arma prohibita gerentes, cit. cap. II. h. t. statuta, non est late sententiæ, sed primum ferenda per iudicem, si clerici admoniti non deponant arma, sique contumacia accesserit. Ita desumitur ex textu cit. cap. II. h. t. dum inquit, *Excommunicantur:* ac notat Abbas, ibid. n. 8. et Barbosa, in *Collectan.* n. 3. Pirhing, h. t. n. 22. et alii.

121. *Loquendo de clericis sæcularibus: secus de religiosis tenentibus arma intra septa monasterii sine licentia superioris.* — Atque istud procedit in clericis sæcularibus. Nam monachi tenentes arma intra septa monasterii sine licentia superioris, ipso facto sunt excommunicati, Clem. *Ne in agro.* 1. § *Quia vero.* de *Statu monach.* juncta Glossa *Ÿ. Tenentes* et Abbate ibid. n. 20. Si quidem locus sacer aggravat delictum, c. *Sicut dignum.* 6. § 1. de *Homicid.*; Belletus, *Disquis. cleric.* part. II. § 49. de *pœnis clericor.* n. 4. Quinimo Abbas in cap. II. n. 8. h. t. istud intelligit de quocunque religioso: quamvis textus in cit. Clem. de monachis duntaxat faciat mentionem: atque ideo Glossa ibid. *Ÿ. Monachos,* hinc excipiendos arbitretur canonicos regulares.

122. *Ex justa causa tamen possunt clerici arma portare: puta, ad se, resque suas defendendas.* — Resp. III. Ex justa tamen causa, puta, ad se, vel proximum, propriasque, vel alienas res contra invasorem defendendas, licitum est clericis arma portare. Ita Glossa in cit. cap. II. *Ÿ. Clerici arma.* et Abbas, ibid. n. 8. et Barbosa, n. 5. h. t.; Belletus, part. I. *Disquis. clerical.* § 17. de *Disciplin. clerical.* n. 14. ac seqq. et alii. Idque patet ex c. *Dilecto.* 6. de *Sentent. excommun.* in 6. ubi hoc ipsum amplius declaratur, addita ea ratione: quia «omnes leges, omniaque jura, vim vi repellere, cunctisque se defensare permittunt.» Hoc autem non verificaretur in clericis, si ipsis nullo modo arma gestare liceret.

123. *Item, si clerici iter periculosum ingrediantur.* — Infertur proinde, quod, si clericis iter periculosum ingrediuntur, possint ad terrorem latronum, sive hostium, secum portare arma, nedum defensiva, sed etiam offensiva. Glossa cit. cap. II. *Ÿ. Clerici arma.* et Abbas ibid. n. 8. h. t. Possunt etiam secum ducere familiares armatos, can. *Maximianus.* 23. q. 3. Belletus cit. § 17. n. 14.

Imo consuetudine jam receptum est, ut clerici iter facientes arma defensoria secum ferant. Pirhing h. t. n. 22.

124. *Clericus minorista, si militiæ operam dederit, excluditur a clericatu. Ac censetur tacite, seu ipso facto renuntiare beneficio, quod obtinet, etc. An vacet ipso jure beneficium ejus præhabitu?* — Resp. IV. Quod si clericus in ordinibus minoribus constitutus, non solum arma deferat, sed etiam militiæ operam dederit, tunc is a clericatu excluditur, can. *Si quis post remissionem* dist. 50. et can. *Aliquantos.* ac seqq. dist. 51; Belletus, *Disquisit. clerical.* part. I. § 41. de *Disciplin. clerical.* n. 7. Nam eo ipso, quod sæcularem militiam assumat, videtur clericali militiæ renuntiasse: quia non potest simul Deo, et sæculo servire, can. *Quicumque ex clero.* 23. q. 8. et c. *Ex multa.* 9. § fin. de *Voto.* Abbas c. *Ut consultationi.* seu cap. ult. n. 1. de *Clericis non resident.* Julius Clarus, lib. V. quæst. 73. n. 6. Atque ideo extinguitur pensio ecclesiastica ob assumptionem militiæ sæcularis, utpote incompatibilis cum clericatu. Card. de Luca, de *Pensionib.* discurs. 47. n. 3. Simulque clericus, qui effectus est miles sæcularis, tacite, seu ipso facto renuntiare videtur beneficio ecclesiastico, quod obtinet. Glossa in cap. ult. *Ÿ. Redierint.* de *Cleric. non resident.* Flamin. Parisius, de *Resignat. benef.* lib. 1. quæst. 1. n. 22. Farinacius, part. I. *Fragment. criminal.* litt. C. n. 184. Gonzalez ad reg. 8. cancellar. Gloss. 14. n. 63. et alii. Adeo, ut ipso jure vacet beneficium per militiam sæcularem. Barbosa part. III. de *Offic. episc.* allegat. 57. n. 216. post Glossam cap. ult. *Ÿ. Redierint.* de *Cleric. non resident.* et alios. Nam eo ipso (inquit) quod beneficiarius sit miles, habetur Ecclesia pro derelicta, ita ut ordinarius jure possit illam alteri concedere. Verum idem Barbosa c. *Ut consultationi.* n. 3. de *Cleric. conjugat.* requirit ad hoc declarationem: ait enim post Ant. Ricciulum de *Jure personarum extra gremium Eccles. existent.* lib. VII. cap. v. n. 12. et alios, quod clericus miles effectus, adeo dicatur a statu ordinis alienus, ut statim atque declaratur miles, videatur ipso facto beneficium resignare: Concordat card. de Luca proxime citandus. Quinimo Innocentius in cap. I. de *Apostatis,* ad stud. ulterius requirit, ut clericus factus miles exercuerit sæva, sive actum aliquem clericatu contrarium arg. can. *Aliquantos,* dist. 51.

125. *Limitatur hoc simulque magis declara-*

tur. — Fatendum vero est, quod plures dentur casus, in quibus clerici absque amissione privilegii clericali possint militare: ut pro papa, vel defensione patriæ, etc. card. de Luca de *Pensionib.* discurs. 46. n. 9. et 14. Qui proinde in annot. ad concil. Trident. discurs. 24. n. 38. dicit, episcopos desuper posse procedere, non quidem per viam privationis, sed per viam declarationis. Et si tales clerici dimissa militia velint adimplere unam ex conditionibus a concilio Tridentino, sess. 23. cap. VI. de *Reform.* præscriptis, ipsi rursus sint recuperaturi privilegia clericalia: cum character ordinis sit indelebilis: de quo plura idem card. de Luca loc. cit. n. 85. et seqq.

126. *Clericis est prohibitum, exercere officia, vel commercia sæcularia.* — Quæritur II. An, et sub quibus pœnis prohibitum sit clericis, exercere negotiationes sæculares? Resp. I. «Clerici officia, vel commercia sæcularia non exerceant, maxime in honesta.» Ita his ipsis verbis habetur statutum. c. *Clerici officia.* 15. h. t. Ubi Abbas n. 3, ponderando ly maxime infert, quod clerici etiam honesta commercia sæcularia exercere nequeant, quando non indigent: secus, quando indigent, can. *Clericus victum.* dist. 91, et cap. I. de *Celebrat. Missar.* Aut nisi illud fiat propter curam pupillorum, aut viduarum, can. 1. dist. 88. Vel propter diversas necessitates, cap. I. *Ne Clerici vel monachi,* etc. cum concordantiis.

127. *Maxime inhonesta: et quæ sint talia?* — Porro inter officia, seu commercia sæcularia inhonesta, connumerantur ea, quæ vel clericis expresse in jure sunt prohibita: ut, tabernam cauponariam publice tenere, can. *Nulli clerico.* dist. 44. et Clem. 1. h. t. Au Ianionum, seu macellariorum officium publice, ac personaliter exercere, cit. Clem. 1. h. t. Vel, quæ reputantur esse officia sordida, ac proinde dedecent clericos, utpote in sortem Domini specialiter vocatos, atque ad obeunda ministeria ecclesiastica deputatos: ut est, publice agere fabrum, pelles vel coria parare, aut alia hujusmodi vilia et immunda exercere. Speculator, tit. de *Clericis conjugat.* n. 6. et 7. et Abbas, cap. ult. n. 16. h. t. asserens, doctores quoad hoc punctum sese remittere ad notata per citatum speculatorem.

128. *Specialiter clericis prohibitum est, negotiatorem agere.* — Resp. II. Specialiter vero clericis prohibitum est, negotiatorem agere,

seu cupiditatis, ac turpis lucri gratia negotiis sæcularibus sese immiscere. Patet hoc ex can. *Consequens*. et can. *Ejiciens*, dist. 88. et cap. I. *Ne Clerici vel monachi* etc. c. *Secundum*. 6. eod. cum similibus. Idque merito: quia, ut divus Apostolus II. *ad Timoth.* II, 4, inquit: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. Quinimo Salvator legitur etiam e templo eiecisse negotiatores, seu vendentes, et ementes, *Matth.* XXI; *Marc.* XI, 24; *Luce.* XIX, 41; et *Joan.*, XI, 14, etc., addita ea ratione, Ne domus orationis fieret spelunca latronum. Siquidem.

129. *Negotiatio sine periculo peccati non exercetur.* — *Negotiatio sine periculo peccati non exercetur*, can. *Qua itas de pœnit.* dist. 5. ubi Leo papa ad Rusticum episcopum scripsisse legitur: « Difficile est inter ementis, vendentisque commercium, non intervenire peccatum. » Quia, ut Glossa fin. ibid. observat, contrahentibus naturale est, sese invicem decipere, I. *In causæ*. 16. § *de Minorib.* et I. *Item si pretio* § *Quemadmodum ff. Locati*.

130. *Possunt tamen clerici honesto quopiam artificio, vel agricultura, victum sibi conquirere: et que disparitas?* — Nec obstat, quod clericis sit permissum, imo et injunctum, ut honesto quopiam artificio, vel agricultura, victum sibi conquirant; dummodo id fiat absque detrimento officii sui Ecclesiastici, can. *Clericus victum*, dist. 91. ubi quartum concilium Carthaginense sic statuisse legitur: « Clericus victum, et vestimentum sibi artificio, vel agricultura, absque officii sui duntaxat detrimento, paret. » Concordat can. *Presbyter*. et can. *Cleribus quantumlibet*, dist. 91. et cap. I. *de Celebrat. Missar.* et cap. I. *Ne Clerici vel monachi*, etc. Idque suadet exemplo divi Apostoli, qui de labore manuum suarum videbat, *Actor.* XX, 34, cum similibus. Resp. enim, ita procedere quidem de agricultura, et honesto artificio; non vero de negotiatione: quia, ut cum aliis notat Abbas cap. ult. n. 14. h. t. est notabilis differentia inter negotiationem, et artificio. Siquidem.

131. *Negotiatio, quid?* — *Negotiatio* dicitur, quando res empta, non mutata materia, alteri venditur: de qua proinde can. *Quid est aliud*, dist. 88. dicitur: « Quid est aliud negotium, nisi, quæ possint vilius comparari, carius velle distrahere. » Concordat textus in can. *Ejiciens*, ead. dist. 88. Et talis negotiatio est clericis beneficiariis, aut in sacris

ordinibus constitutis prohibita, ut proxime dictum. Addit Bellettus in *Disquisit. clerical.* part. II. § 51. *de Pœnis clericor.* n. 1. etiam tunc intervenire negotiationem clericis interdictam, quando quis eorum rem quampiam, v. g. lanam emit, ut suis expensis per mercenariorum, et opificum industriam, laboremque (non autem per semetipsum) aliquid efficiat; puta, ex lana empta pannum conficiat postea revenditurus, ut inde aliquid lucrari possit.

132. *Artificium, quid; et cur clericis permissum, non negotiatio?* — *Artificium* vero est, quando quis emit aliquam materiam, quæ postea per artem reducitur ad aliam formam: ut si quis emat vimina, et faciat canistra; vel emat filum, et faciat retia, aut hujusmodi can. *Ejiciens*, dict. 88. Et tale artificium non est clericis prohibitum, qui potius commendatum, sicut et agricultura, dummodo fiat absque neglectu officii ecclesiastici: quia non implicat ad peccatum, sicut negotiatio, quæ solet homines inducere ad mendacia, perjuriam, fraudes etc. Hinc etiam Apostoli post Christi passionem redierunt ad piscandum, *Joan.* XXI, 6. Sanctus Matthæus vero ad telonium non amplius recedit quia istud posterius simpliciter ad peccatum, non vero prius; prout notavit sanctus Gregorius papa *Homil.* 24. in *Evangelia*.

133. *Clerici in sacris, etc., exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter; possuntque suspendi, imo et excommunicari.* — Resp. II. Clerici in sacris constituti, aut beneficium ecclesiasticum habentes, exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter; possunt suspendi a divinis, imo et excommunicari: et si tertio admoniti non resipiscant, etiam aliis pœnis arbitrariis puniri. Ita Barbosa lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XL. n. 114. et 128; Bellettus *Disquis. clerical.* part. II. § 51. *de Pœnis clericor.* n. 2. et alii. Idque patet ex can. *Negotiatorem*, dist. 88. ubi dicitur: « Negotiatorem clericum, et ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge. » Concordat c. *Sed nec procuraciones*. 4. et c. *Secundum* 6. *ne clerici vel monachi*, etc. In quorum priori loco clericus, contra doctrinam Apostoli implicans se negotiis sæcularibus, jubetur suspendi, seu ab « Ecclesiastico fieri ministerio alienus. » In posteriori autem « sub interminatione anathematis prohibetur, ne monachi, vel clerici, causa lucri negotientur: » ac proinde contra facientes sunt excommunicandi. Atqui

pœnæ tam graves imponi non solent, nisi propter peccatum mortale: et consequenter clericus, exercendo negotiationes sæculares, peccat mortaliter.

134. *Nisi excuset parvitas materiæ, vel necessitas.* — Intellige, nisi excuset parvitas materiæ; puta, si clericus semel, aut bis duntaxat, negotiatus fuisset: quia tunc non censeretur peccasse mortaliter. Barbosa cit. cap. XL. n. 120; Diana part. I. tract. *de Contractib.* resol. 72. et alii. Aut nisi excuset necessitas: puta, qui aliunde clericus non habet, unde vivat. cap. I. *Ne clerici, vel monachi*, etc. Barbosa loc. cit. n. 119. cum aliis.

135. *Referuntur etiam alii casus, in quibus clerici non incurrunt reatum illicitæ negotiationis.* — Insuper clericus ex motivo charitatis licite potest emere victualia, ut habeat tempore inopiæ, vel famis, non solum pro suo usu, sed etiam, ut aliis egentibus tunc vendere possit pro currente pretio: dummodo istud non faciat lucri gratia (tale enim turpe lucrum dicitur, can. *Quicumque*. 14. q. 4.) sed, ut dictum, ex motivo charitatis, nimirum ut hac ratione aliis indigentibus subvenire valeat, exemplo Josephi pro regis Ægypti. Innocentius, et Abbas cap. I. n. 9. *Ne clerici vel monachi* etc. Aloys. Riccius part. III. *Praxis*, resol. 199. n. 3. et resol. 202. n. 2. et alii, ubi a principio defuit animus negotiandi, seu lucrandi (puta, quia clericus emit pertinentia ad suum, suæque familiæ usum, et sustentationem, v. g. frumentum, butyrum, aut hujusmodi pro toto anno, ac præter propositum empta supersunt, quæ postea revendit aliis pretio currente, licet cariore) non incurrit delictum, neque pœna negotiationis in foro externo. Riccius cit. resol. 202. n. 1; Barbosa d. part. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XL. n. 122. allegans alios. Potest etiam clericus agros beneficiorum, aut honorum suorum patrimonialium, opera laicorum colere, absque metu illicitæ negotiationis. Sacra Congregatio concilii Tridentini, relata per Barbosam loc. cit. n. 127. vers. ad primam respondit. Possunt quoque clerici retinere, atque locare boves, oves, aliaque animalia, quæ habent ex successione, vel decimis; nec non fructus illorum vendere, absque relatu illicitæ negotiationis: possuntque pariter vendere granum, hordeum, et alios fructus recollectos ex bonis patrimonialibus, vel ecclesiasticis pro sua, et suorum sustentatione. Eadem sac. Congregatio concilii, apud Barbosam, loc. cit. ubi

plures aliæ consimiles limitationes videri possunt: nam de his commodius agetur infra tit. L. *Ne clerici, vel monachi*, etc. declarando simul ex professo, quænam in specie censeantur negotiationes clericis interdictæ, nec ne.

136. *Et, si tertio moniti a negotiationibus sæcularibus non abstinerint, perdunt interim quoad bona sua privilegium clericale.* — Resp. III. Præter pœnas supra enumeratas, si clericus tertio admonitus a negotiationibus sæcularibus non abstineat, perdit interim quoad bona sua privilegium clericale. Textus est in cap. ult. h. t. ubi Glossa, Hostiensis, Joan. Andreas, Abbas in *Summario*, Vivianus, Barbosa, et communis aliorum. Ratio est, quia ejusmodi clerici admoniti, nec resipiscentes, « facto privilegium adjiciunt clericale: » unde tu, « quominus, dum his negotiationibus se implicant, de suis facultatibus, statutis et consuetudinibus patriæ subjaceant, non defendas eosdem, » prout ibidem loquitur textus. Quia enim negotiationes sæculares exercere, clericis est prohibitum, ut proxime dictum; hinc clerici transgressores reddunt se ipsos privilegio suo indignos. Nam frustra legis (seu Ecclesiæ) auxilium invocant, qui committit in legem, c. *Contingit*. 45. *de Sentent. excommunicat. et c. Quia frustra*. 14. *de Usuris*.

137. *Requiritur tamen ad hoc trina monitio; et quidem specifica.* — Dicitur primo, « tertio admonitus. » Quia, ut clericus negotiator perdat privilegium quoad bona sua, debet is tertio fuisse commonitus a superiore suo, juxta textum cit. cap. ult. h. t. ibi: « Si tales tertio a te commoniti, non resipuerint, » etc. Adeo, ut non sufficiat una monitio peremptoria. Glossa in Clem. 1. § *Tertio*. h. t. Abbas cit. cap. ult. n. 5. et Barbosa ibid. n. 4. h. t. Pirhing eod. n. 28. et alii. Siquidem in pœnalibus, uti est præsens materia, verba debent intelligi stricte, et proprie; non autem large, et fecte, arg. I. III. § *Hæc verba*. ff. *de Negot. gest. et c. In nostra*. 8. *De injuriis*. Nec etiam sufficit monitio generalis, ut omnes clerici abstineant a negotiationibus: sed debet esse monitio specifica; ita ut apprehendat ejusmodi clericorum negotiatorem, juxta textum allegatum, « Si tales tertio a te commoniti, » etc. atque notat Abbas cit. n. 5.

138. *Et perdunt quidem interim ipso facto privilegium clericale quoad bona sua. Non vero quoad bona Ecclesiæ.* — Dicitur secundo, « perdit interim; » hoc est, donec desistat

ab illicitis negotiationibus sæcularibus. Et additur, « quoad bona sua privilegium clericale, » nempe quoad bona sua patrimonialia: adeo, ut quoad hæc ligetur statutis laicorum, certas gabellas, pedagias, vel alias præstationes exigentibus, nec possit se privilegio fori defendere. Nam facto suo privilegium abiecit clericale: uti loquitur textus in cit. c. *Ex litteris*, seu. cap. ult. h. t. juncta Glossa γ . *Cum facto*: quæ solvens instantiam rotat, quod, licet ipso verbo non possit clericus privilegio clericali renuntiare, c. *Si diligenti* 12. *de Foro competent.* et c. *Contingit* 36. *de Sentent. excommunicat.* possit tamen huic renuntiare ipso facto, hoc est, tale quid committendo, ratione cujus redditur indignus privilegio clericali, et jura ipsum privant eodem. Atque istud procedit loquendo de bonis ipsius clerici negotiatoris; sive, ut inquit textus, « de suis facultatibus. » Nam secus est dicendum de bonis, seu facultatibus Ecclesiæ: quia « delictum personæ non debet in detrimendum Ecclesiæ redundare, » juxta reg. 76. in 6. ac notat Glossa fin. cit. cap. ult. h. t.

139. *Nec etiam quoad personam suam: sed gaudent privilegio canonis, et fori.* — Ulterius quomodi clerici negotiatores amittunt privilegium clericale solummodo quoad suas facultates, non vero quoad suam personam: adeoque adhuc gaudent privilegio canonis, can. *Si quis suadente* 17. q. 4. Imo et privilegium: ut proinde, si in negotiatione illicita delinquant, falsa v. g. mensura utendo, non possint judicari, atque puniri a judice sæculari, sed a solo judice suo ecclesiastico. Bellettus cit. § 54 *de Pœnis cleric.* n. 7. Glossa d. cap. ult. γ . *Tertio*. in fin. Abbas ibid. n. 7. h. t. Pirhing. eod. n. 28. Siquidem textus illius capituli, cum sit pœnalis, non debet a facultatibus clericorum, de quibus solummodo mentionem facit, extendi ad eorum personas, cap. *Odia* 15. *de Reg. jur.* in 6. cum similibus. (ADNOTATIO XXXVI.)

140. *An clericis liceat exercere ludos theatrales, aut eisdem interesse? Si hi fuerint inhonesti, scurriles, aut profani, non debent fieri in templo, nec ubicunque per clericos, non obstante quacunque consuetudine.* — Quæritur III. Utrum clericis liceat exercere ludos theatrales, aut eisdem interesse? Resp. I. Ludi theatrales, si fuerint inhonesti, scurriles, aut profani, non debent fieri in templo, nec ubicunque per clericos in sacris ordinibus

constitutos: haud obstante quacunque consuetudine, quæ potius dicenda est corruptela; et proinde penitus extirpanda, cum per eam Ecclesiæ, inquinetur honestas. Textus est in c. *Cum decorem* 12. h. t. ubi Abbas, Vivianus, Barbosa, cæterique Doctores.

141. *Secus dicendum de ludis theatralibus, seu representationibus sacris.* — Additur vero, « Ludi theatrales, si fuerint inhonesti, scurriles, aut profani. » Quia non prohibentur in templo fieri representationes rerum piarum, ac mysteriorum fidei catholice: ut puta, representando præsepe Domini, sepulchrum Christi, vel ascensionem ipsius, aut hujusmodi, quæ sunt idonea ad excitandam in hominibus devotionem, et recolenda mysteria fidei; non ad provocandam lasciviam, voluptates, aut risum, can. *Semel Christus. de consec.* dist. 2. Glossa cit. c. *Cum decorem* γ . *Monstra.* et Abbas ibid. n. 4. et Barbosa n. 6. h. t. Bellettus *Disquisit. clerical.* part. I. § 23. n. 10. et alii docentes, quod etiam clerici possint facere representationes rerum piarum, aut vitæ alicujus Sancti, atque illis interesse.

142. *Clerici mimis, jocularibus et histrionibus non intendant. Non spectaculis, non pompis intersint, etc. Nuptiarumque evitent convivia: nec choreis, vel saltationibus misceantur.* — Resp. II. Ut « clericis mimis, jocularibus, et histrionibus non intendant, » præcepit concilium generale, relatum c. *Clerici officia* 15. h. t. Eisdem etiam injunctum legitur, ut « a mundi voluptatibus sese abstineant: non spectaculis, non pompis intersint: convivia publica fugiant, » etc. Textus est in can. *His igitur*. dist. 23. Ubi *Spectacula* intelligit turpes ludos, qui vel in Glossa per nuptiis, vel in scenis, aut alibi exhibentur; ut can. *Presbyteri*. dist. 34. statuente, ut « Clerici etiam alienarum nuptiarum evitent convivia; nec his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur, aut turpia; aut obscœni motus corporum choreis, et saltationibus efferuntur: ne auditus, aut obtutus sacris mysteriis deputati, turpium spectaculorum, aut verborum contagione polluantur; » prout ibidem loquitur concilium Agathense. Unde, si adveniant histriones, seu joculatores, jubetur clericus surgere, et recedere de mensa, can. *Non oportet* 37. *de Consec.* dist. 5. Glossa cit. can. *Presbyteri*. γ . *Etiam alienarum*, dist. 34. Abbas cit. c. *Cum decorem*. n. 4. h. t. Bellettus d. § 23. n. 6.

§ I.

DE VITANDA CLERICIS COHABITATIONE MULIERUM, ET CONCUBINATU, HUIUSQUE PROBATIONE.

2. *Omnis suspecta cohabitatio cum altero sexu, est clericis interdicta.* — Quæritur I. Qualiter, et quibus cum mulieribus, prohibita sit clericis cohabitatio? Resp. I. Omnis suspecta cohabitatio cum altero sexu est clericis per sacros canones interdicta; ut non tantum ab ipso fœdo opere, sed etiam a quovis periculo, atque suspitione ipsius redantur immunes. Hinc can. *Hospitolum*. dist. 32. S. Hieronymus *ad Nepotianum. de Vita Clericorum*, in hæc verba scripsisse legitur: « Hospitolum tuum aut raro, aut nunquam, mulierum pedes terant. Quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum accessibus copulatur. Fœminæ conscientiam secum pariter habitantis exurit. Nunquam de formis mulierum disputes. Fœminæ nomen tuum noverint; vultum nesciant. Fœminam, quam bene videris conversantem, mente dilige, non corporali frequentia. Si bonum est, mulierem non tangere; malum est ergo, tangere. » Hæc ibi. Concordat can. *Legitur*. dist. 81. ubi refertur, S. Augustinum nec cum sorore sua habitare consensisse dicendo: « Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt: » juncto can. *In omnibus*. et can. *Archidiaconum*. et can. *Oportet*. ead. dist. 81. cum similibus.

3. Huc accedit textus, cap. 1. h. t. contentus, et ita loquens: « Inhibendum est, ut nullus sacerdos fœminas, de quibus suspicio esse potest, retineat. Sed neque illas, quas canones concedunt, matrem, amitam et sororem: quia instigante diabolo et in illis scelus perpetratum reperitur, aut in pedisequis earum. Sed si qua de his necessitatem habuerit, presbyteri habeant in vico, aut in villa domum longe a sua conversatione, et ibi eis, quæ sunt necessaria, subministrent. Prohibendum quoque est, ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut infra cancellos stare, sive sedere. » Unde ad præcavendum omni sinistrae suspitioni optime faciunt clerici illi qui vel penitus nullam fœminam in domos suas recipiunt, sed necessaria ministeria per mares sibi fieri procurant: vel saltem intra sua hospitola, seu interiores partes domus, ubi remanere consueverunt, fœminas ingredi non possunt.

4. *Clerici non tantum a domo propria re-*

143. *Clericis joculariam artem exercens, qualiter puniatur?* — Resp. III. Quod si quispiam clericorum joculariam artem exercuerit (agendo videlicet joculariorem, seu histrionem, bufonem, sive goliardum, juxta diversitatem linguarum) atque per annum artem hujusmodi ignominiosam exercuerit, tunc ipso jure privatus est omni privilegio clericali: si autem tempore breviori id præstiterit, et tertio monitus ab ordinario non desistat, privatur per sententiam omni privilegio clericali. Ita textus in cap. 1. h. t. in 6. et doctores ibid. Idque merito: nam clericus jocularior multum detrahit dignitati ordinis clericali, cum mercedis causa faciat ludibrium sui. Unde etiam spectato, jure civili, joculariores censentur infames, l. II. ff. *De his, qui notantur infam.* Et quidem ipso jure; prout notat Glossa ibid. γ . *Definit.*

144. *Larvæ dæmonum sunt clericis prohibita.* — Resp. IV. Clericis etiam prohibitum est, larvas dæmonum ante se ferri consentire: quia hoc est diabolicum, can. *Nullus presbyterorum. de Consec.* dist. 5. Multoque magis, larvis se tegere c. *Cum decorem* 12. h. t. Bellettus, ubi supra, § 23. n. 8. Tacentur plura hujusmodi, quæ vitam, honestatemque clericorum commaculant, sicque fugienda sunt; aut commendant, ac proinde clericis sunt prosequenda; de quibus tum in *Decreto Gratiani*, librisque *Decretalium*; tum in diversis Constitutionibus apostolicis sparsim agitur; atquo per Bellettum integro tomo, *Disquisitio clericalis* intitulo, et in duas partes diviso, aliosque doctores, fusius declarantur. (ADNOTATIO XXXVII.)

TITULUS II.

De cohabitatione Clericorum et mulierum.

1. *Ratio ordinis titularum.* — Cum clerici, præsertim in ordinibus sacris constituti, caste et continenter vivere teneantur, prout inter alia titulo præcedenti uberius dictum est; mulierum autem consortia vitam clericorum de incontinentia reddant suspectam: hinc merito post priorem subjungitur rubrica presentis tituli, quem pro majori claritate juvat in duos paragra.